

tis, nisi secundum quod per suffragia sunt mediatores inter nos & Deum, sicut & oratio ad Sanctos fit: & ideo omne votum principaliter ad Deum reducitur, sicut & oratio.

Ad quintum dicendum, quod illa diffinitio Juristarum est intelligenda non de quolibet bono, sed de eo quod pertinet ad pietatis religionem; & hoc Dei est, sive fiat in proximo, sicut in proxima materia, sive in seipso, sive in Deo.

Ad sextum dicendum, quod in testificatione includitur deliberatio, ut dictum est.

SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod, sicut ex jam dictis patet, votum non potest esse nisi de aliquo bono ad cultum Dei pertinente quocumque modo: & ideo omne malum obviat voto ex parte ejus cui fit obligatio; sed ex parte ejus ex quo talis obligatio procedit, scilicet voluntatis, omnis necessitas aliquo modo obviat voto. Est autem duplex necessitas. Una absoluta; & talis necessitas omnino excludit votum; sicut si aliquis voveret se non moriturum, vel ea quae omnino non sunt in potestate ejus, nullum esset votum. Alia est necessitas conditionata ex suppositione finis; & sic inest nobis necessitas faciendi illa sine quibus non possumus salutem consequi, sicut sunt praecipua ad quae alias tenemur, & talis necessitas non excludit omnino votum: invenitur enim quandoque, large accipiendo votum, esse de his quae sunt sub tali necessitate; sed excludit talis necessitas votum proprie dictum: & ideo si votum accipiatur secundum propriam sui rationem, est proprie de bonis illis ad quae non omnes tenentur, quae supererogationis sunt: & ideo dicuntur meliora bona, quia superadduntur illis bonis, sine quibus non est salus: & ideo votum proprie acceptum, dicitur esse de meliori bono.

Ad primum ergo dicendum, quod illa Jacob promissio magis fuit recognitio quaedam obligationis quam obligationis causa: & ideo non potest proprie, sed largo modo votum dici. Vel dicendum, quod votum Jacob non fuit de eo quod erat necessitatis, sed de speciali modo cultus per altaris constructionem, & decimarum exhibitionem; & ideo fuit de meliori bono.

Ad secundum dicendum, quod talia vota mulierum sunt sortilegia magis quam vota: sunt enim reliquiae quaedam idolatriae, secundum quam observantur dies, & menses: & ideo pro non votis habenda sunt, & peccant talia voventes: quia, ut Hieronymus dicit, cum infidelibus etiam nec nomina habere debemus communia.

Ad tertium dicendum, quod votum si sit de eo quod est simpliciter malum, non est votum, nisi aequivoce; & ideo nullo modo obligat. Si autem est de eo quod uno casu contingente potest esse bonum, & alio malum, si sit in omnem eventum, est indiscretum; si autem sit in bonum eventum per intentionem voventis, est discretum, & in malo eventu non obligat. Votum igitur Jephthae fuit de eo quod in aliquo eventu poterat esse bonum, scilicet si obviaret animal immolatum, & in aliquo eventu non bonum, scilicet si obviaret animal non immolatum: & quia vovit in omnem eventum, votum indiscretum fuit. Ergo in voto ejus, quantum ad emissionem voti, est aliquid laudabile, scilicet devotio, & fides qua sperabat a Deo victoriam, & sic dicitur esse motus a Spiritu Sancto; sed determinatio voti est indiscreta:

quantum autem ad executionem, ipsum factum est crudele, sed figura est ibi laudabilis. Et ideo quamvis votum ejus fuerit aliquo modo laudabile, ipse tamen non excusatur a peccato, quia fuit in vovendo stultus, & in reddendo impius, ut Hieronymus dicit, Lib. I. contra Jovinianum circa med. & in Michaeam. Ponitur tamen in catalogo Sanctorum propter victoriam quam a Deo obtinuit, sicut & alii Sancti.

Ad quartum dicendum, quod in periculum personae vergens votum non est servandum, quia nullus potest aliquid vovere in periculum personae suae: & ideo tutum est quod in talibus queratur dispensatio superioris: si tamen eam non daret, & periculum immineret, posset secure frangere votum. Posset autem periculum imminere vel ex infirmitate, vel ex paupertate, ut si non habeat aliud ad comedendum quam illud a quo vovit abstinere.

SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendum, quod ex jam dictis patet quod votum non potest emitte ab aliquo, nisi de his quae subjacent voluntati ejus: & ideo ille qui est sub potestate alterius constitutus, quantum ad ea in quibus ei subiacet, vovere non potest, quia talia non subjacent ejus voluntati. Similiter etiam illi, qui non habent usum liberi arbitrii, sicut aliqui qui non sunt sanae mentis, vovere non possunt, nec etiam pueri ante annos pubertatis.

Ad primum ergo dicendum, quod in hoc ipso quod servit homo domino suo carnali, servit spirituali; unde Apostolus propter conscientiam eis esse serviendum docet: & quia hoc est necessitatis, non potest per id quod non est necessitatis, impediri; sicut nec illud quod cadit sub praecipio, potest per id quod cadit sub consilio, tolli.

Ad secundum dicendum, quod ex quo homo venit ad annos pubertatis, non est sub potestate alterius, si sit libera conditionis, quantum ad ea quae ad personam suam spectant: & ideo sicut talis invitis parentibus potest matrimonium contrahere, ita invitis eis potest religionem profiteri; sed quantum ad res domesticas non potest aliquid vovere sine consensu patris.

Ad tertium dicendum, quod quamvis religiosus non teneatur ad obediendum in omnibus quae ei possent imperari, tamen tenetur ad obediendum quantum ad omne tempus de his quae sibi imperari possunt, sicut & servus non est exemptus aliquo tempore a servitio domini sui: & ideo nullum tempus est eis vacans, quo possint quodlibet facere. Et quia omne votum est aliquo tempore complendum, ideo sicut nec servus, ita nec religiosus aliquid votum emitte potest sine consensu sui superioris.

Ad quartum dicendum, quod in his in quibus uxor viro tenetur, & e converso, neuter potest vovere sine mutuo consensu, sicut patet de voto continentiae. Sed quia in dispensatione domus, & regimine vitae mulier est subiecta viro, & non e converso; ideo vir potest in talibus vovere sine consensu uxoris, sed non e converso.

ARTICULUS II.

Utrum votum convenienter dividatur in commune, & singulare.

2. 2. q. LXXXVIII. art. 7.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod votum inconvenienter dividatur in commune

munis, & singulare. Quia divisum debet secundum eandem rationem praedicari de dividendis. Sed votum non eadem ratione praedicatur de voto communi, & singulari: quia singulare proprie est votum, non autem commune, ut ex dictis patet. Ergo est incompetentis divisio.

2. Praeterea. Singulare non dividitur contra commune. Sed magis proprie contra universale. Ergo & votum deberet hic dividi in singulare, & universale.

3. Praeterea. Omne votum sui transgressionem inducit speciale peccatum. Sed votum commune sui transgressionem non inducit speciale peccatum: quia sic homo post baptismum quolibet peccato peccaret dupliciter. Ergo non est votum aliquid commune.

4. Praeterea. Ille qui non habet usum liberi arbitrii, non potest votum emitte. Sed baptismum suscipit aliquis non habens usum liberi arbitrii. Ergo in baptismo non fit aliquid votum, quod commune dici debeat.

QUAESTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod votum non convenienter dividatur in privatum, & solemne. Est enim aliquid votum publicum quod non est solemne, nec privatum. Ergo non est sufficiens praedicta divisio.

2. Praeterea. Divisio debet esse per ea quae sunt essentialia rei. Sed privatum, & solemne non dividunt votum per aliquid quod sit ei essentialia: quia votum essentialiter est quaedam obligatio Deo facta; quantum autem ad Deum non differt obligatio utrum fiat in secreto, vel coram pluribus. Ergo praedicta divisio est incompetentis.

3. Praeterea. Quando aliquid communi divisione per se dividitur, oportet quod divisa specie differant. Sed votum privatum, & solemne non differunt specie: quia sic non posset aliquid votum privatum solemnizari, cum species non transeant in invicem. Ergo praedicta divisio est incompetentis data de voto.

4. Praeterea. Sicut votum habet quaedam quae pertinent ad solemnitatem, ita matrimonium, & alia sacramenta. Sed in matrimonio non distinguitur simplex matrimonium a solemnibus. Ergo nec in voto talis distinctio esse debet.

QUAESTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod votum non solemniter per professionem ad certam regulam, & per ordinis sacri susceptionem, ut quidam dicunt. Solemnitas enim ponitur differentia voti communitate dicti. Sed quaedam vota sunt quae non habentur sub aliqua certa regula, neque sunt ordini sacro annexa, sicut votum peregrinationis. Ergo illa duo non sufficiunt ad solemnitatem voti faciendam.

2. Praeterea. Dicitur etiam a quibusdam, quod votum solemnizatur per susceptionem habitus religionis. Sed quandoque suscipitur habitus religionis sine professione, vel ordinis susceptione. Ergo & c.

3. Praeterea. Ante constitutionem certarum regularum potuit votum solemnizari etiam sine ordinis susceptione. Sed nunc non minus possunt se homines obligare Deo quam prius. Ergo & nunc solemnitas voti potest esse sine professione certae regulae.

4. Praeterea. Professio certae regulae potest fieri in privato. Sed votum solemne hic contra privatum dividitur. Ergo professio certae regulae non est sufficiens ad votum solemnizandum.

Sed contra. Effectus voti solemniter proprius est di-

rimere matrimonium contractum. Sed solum votum quod est annexum ordini, & quod est ad certam regulam, dirimit matrimonium contractum. Ergo solum his modis votum solemnizatur.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod divisio illa qua votum dividitur in singulare, & commune, est divisio analogi, quod praedicatur per prius & posterius de suis dividendis, sicut ens de substantia, & accidente. Cum enim votum sit obligatio ex voluntate facta, necessitas autem voluntarij excludat, illud votum quod nihil habet necessitatis, dicitur per prius votum, quasi habens complete rationem voti; & hoc est votum singulare, quod est de illis ad quae non tenemur. Illud autem votum quod habet aliquid necessitatis, habet incomplete rationem voti, & ideo dicitur per posterius votum; & hoc est votum commune, quod est de his ad quae omnes tenentur, quorum est necessitas conditionata, non absoluta, ut ex dictis patet.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de divisione univoci; & talis non est hic.

Ad secundum dicendum, quod votum commune est quidam singularis actus, & a singulari persona emissum: unde non posset convenienter dici universale; sed dicitur commune ratione horum de quibus est, ad quae omnes tenentur.

Ad tertium dicendum, quod transgressio voti communis non facit speciale peccatum, sed addit peccato specialem deformitatem: magis enim peccat baptizatus eodem genere peccati quam non baptizatus, ut patet Hebr. x. 29. Quanto putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit? Et ideo non frustra emititur, cum aliquam obligationem addat, sicut lex scripta addit aliquam obligationem supra legem naturae: & ita non facit aliud peccatum, sed novam deformitatem addit.

Ad quartum dicendum, quod ratio illa procedit de votis quae sunt de his ad quae non omnes tenentur. Sed ex hoc quod vice pueri patris votum commune emitte, nihil pueri deperit, quia ad idem alias esset obligatus: nec obstat quod sit major obligatio, quia huic praeponderat magnitudo beneficij quae impenditur. Non enim injuriam facit pueri qui pro eo beneficium accipit ab aliquo, cui postea puer ad annos discretionis veniens, ad servitium, vel gratiarum actionem teneatur.

SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod divisio voti in privatum, & solemne, est divisio totius potestativi in partes suas, cujus perfecta virtus est in una suarum partium, in aliis autem quaedam ipsius participatio, sicut anima dividitur in rationalem sensibilem, & vegetabilem. Virtus autem voti est obligatio: quae quidem virtus complete est in voto solemniter, cujus obligatio nullo casu irritari potest; sed est incomplete in voto privato, cujus obligatio aliquo casu irritatur, ut dicitur.

Ad primum ergo dicendum, quod votum potest dici publicum dupliciter. Uno modo per se, quia habet aliquid annexum, unde in publicam venire debet; sicut cum quis recipit ordinem sacrum, per quem minister Ecclesiae constituitur ad publice Deo serviendum. Alio modo per accidens, sicut quando

in noticiam plurimorum venit. Et quia rei iudicium non variatur per id quod est per accidens, sed secundum id quod est per se, ideo votum publicum secundum modo in idem computatur quod privatum; sed publicum primo modo distinguitur a privato; & hoc est solemne.

Ad secundum dicendum, quod dicta divisio datur per ea que sunt essentialia voto. Illud enim ex quo votum habet vim obligandi, est sibi essentialia. Unde non est verum quod equaliter obligent omnibus modis nec quoad Deum, nec quoad homines; sed aliquo modo equaliter obligant, ut dicitur.

Ad tertium dicendum, quod naturalis est ordo quo fit progressus de imperfecto ad perfectum: unde & in totis potestatis fit progressus ab una parte in aliam, sicut embryo prius habet animam vegetabilem aliquo modo quam sensibilem, & sensibilem quam rationalem: & similiter etiam non est inconveniens quod idem votum primo sit privatum, & postea publicum.

Ad quartum dicendum, quod matrimonium, & alia sacramenta habent plenum effectum suum pretermissis his que ad solemnitatem sacramenti pertinent, propter hoc quod habent efficaciam ex virtute divina, & non ex institutione humana; sed votum quod obligat per id quod ab homine est, non habet perfectam vim obligandi, nisi debita solemnitate adhibita: & ideo votum distinguitur per solemne, & non solemne; non autem matrimonium, vel aliquod aliud sacramentum.

SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendum, quod votum, ut dictum est, dicitur solemne ex hoc quod habet completam vim obligandi. Ea enim ad solemnitatem rei pertinere dicuntur que ei completum esse tribuunt. Votum autem, cum essentialiter sit promissio, complementum suae virtutis accipit sicut & promissio; cuius quidem obligatio tunc completur quando aliquis hoc quod promittit in presenti dat, quodammodo ponens eum cui fit promissio, in corporali possessione alicuius rei, unde habere possit quod promittit; sicut si aliquis fructus agri promitteret, & promittendo agrum daret; & similiter si servitium aliquod promitteret, & se in servum daret. Et ideo tunc votum solemnizari dicitur quando aliquis praesentialiter se dat Deo, divinis se servitiiis mancipando: quod quidem fit per ordinis sacri susceptionem, & per professionem certae regulae debito modo factae, scilicet in manu eius qui debet recipere, & aliis circumstantiis servatis que secundum iura determinantur: alias non esset votum solemne, quantumcumque quis profiteretur, quia ex tali professione non fieret sub potestate eorum qui religioni praesunt.

Ad primum ergo dicendum, quod cum solemnitas voti sit ex hoc quod res ipsa datur, unde promissio impletur, quando aliquid temporaliter solvendum promittitur, non potest solemne votum esse, sicut est votum peregrinationis, vel aliud huiusmodi. Nec obstat quod solemnitas differentia voti communiter sumpti ponitur: quia etiam anima rationalis, in qua est perfecte ratio vitae, non est in omnibus viventibus, quamvis rationale ponatur differentia animalis simpliciter.

Ad secundum dicendum, quod habitus religionis (1) Forte tenoris.

nis est duplex: quidam qui non professis dari solet; alius qui datur professis: & si in quibusdam religionibus utrisque idem habitus datur, tamen in professione consuevit habitus benedicti; & habitus sic benedictus quasi alius computatur. Primus ergo habitus non sufficit ad solemnizandum votum, etiam prius emissum; sed secundi habitus susceptio solemnizat votum, quia est quaedam praesumpta professio; contra quam praesumptionem etiam non admittitur probatio, si serventur debita circumstantia, sicut quod datur habitus ab eo qui dare possit, & coram fratrum multitudine. Si enim aliquis in domo sua talem habitum suscepisset, non propter hoc praesumeretur votum solemnizasse: & ideo habitus susceptio non debet poni alia causa solemnitatis, quia non solemnizat votum, nisi in quantum est professio quaedam praesumpta.

Ad tertium dicendum, quod antequam essent istae regulae que modo sunt, erat aliquis modus vivendi ab Ecclesia approbatus, quo aliqui ad ea que supererogationis sunt, se obligabant; & tunc certi (1) temporis obligatio ad alium modum vivendi idem faciebat quod nunc obligatio ad certam regulam.

Ad quartum dicendum, quod votum hoc non dicitur privatum, quod ad noticiam paucorum venit, sed quia non habet unde oporteat ad noticiam deduci. Ille autem qui professionem in occulto facit, ut si in domo sua faciat in manu eius qui eam recipere possit, facit votum quod habet unde in publicum deduci debeat, quia oportet, eum saecularem vitam dimittere, & in claustrum cum aliis sui ordinis conversari.

ARTICULUS III.

Utrum votum obliget, ut semper necesse sit illud observari.

2. 2. quest. LXXXVIII. art. 3.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod votum non obliget, ut semper necesse sit illud observari. Nullus enim obligari potest ad impossibile. Sed aliquando impossibile est votum observari, sicut patet in illa que vocat virginitem, & corrumpitur. Ergo non est necessitas votum servare.

2. Præterea. Effectus non potest esse firmior sua causa. Sed causa dans firmitatem suo voto est deliberatio, ut ex definitione prius posita, art. 1. quæst. 1. patet. Cum ergo deliberatio humana non habeat necessariam firmitatem, quia cogitationes hominum sunt timidae, & incertae providentiae nostrae, ut dicitur Sapient. 11: videtur quod votum non obliget de necessitate ad observandum.

3. Præterea. Juramentum strictius obligat quam votum: quia veritas divina, ex qua juramentum obligat, est efficacior quam deliberatio humana, ex qua obligat votum. Sed juramentum non obligat ad hoc quod observetur de necessitate: quia quandoque potest sine peccato frangi, sicut quando vergit in deteriores exitum. Ergo nec votum obligat ad hoc quod semper necesse sit observari.

4. Præterea. Votum quandoque fit sub conditione, sicut vocat Jacob Gen. xxvii. 1. 20. Si Deus meus mecum fuerit, erit mihi Dominus in Deum. Sed tale votum non obligat conditione non extante. Ergo non omne votum de necessitate obligat.

Præ-

Sed contra est quod Clemens Papa (Alexand. III. extra cap. Meminimus, & consuluit) dicit, quod votum simplex impedit contrahendum matrimonium, sed non dirimit contractum.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod nec etiam votum solemne dirimat matrimonium contractum. Quia, sicut Decretalis (Cælestini III. cap. Rursus de clericis, vel voventibus) dicit, apud Deum non minus obligat votum simplex quam votum solemne. Sed matrimonium acceptatione divina stat, vel dirimitur. Ergo cum votum simplex non dirimat matrimonium, nec votum solemne dirimere poterit.

2. Præterea. Votum solemne non addit ita validum robur supra votum simplex, sicut iuramentum. Sed votum simplex etiam iuramento superveniente non dirimit matrimonium contractum. Ergo nec votum solemne.

3. Præterea. Votum solemne nihil habet quod non possit votum simplex habere: quia votum simplex posset habere scandalum, cum posset esse in publico, sicut & solemne. Similiter Ecclesia posset, & deberet statuere quod votum simplex dirimat matrimonium contractum, (1) ut multa peccata vitarentur. Ergo qua ratione votum simplex non dirimit matrimonium, nec solemne votum dirimere debet.

Sed contra est quod ille qui facit votum solemne, contrahit matrimonium spirituale cum Deo, quod est multo dignius quam materiale matrimonium. Sed matrimonium materiale prius contractum dirimit matrimonium post contractum. Ergo & votum solemne.

Præterea. Hoc etiam probari potest per multas auctoritates que in littera ponuntur.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod votum, ut ex dictis patet, est quidam promissionis contractus inter Deum, & hominem. Unde cum contractus bonæ fidei inter homines factus obliget ad necessariam observationem, multo fortius votum quo homo Deo aliquid promittit, in his datur taxat ad que votum se extendit, in illis autem ad que votum non se extendit, obligatio voti non habet locum: & ideo qui votum rite factum præmittit, mortaliter peccat, quia fidem quam cum Deo inicit, frangit.

Ad primum ergo dicendum, quod illud quod votum fiendum impediret, si præsens esset, etiam voto facto obligationem aufert: unde cum de impossibili non possit esse votum, ut dictum est, si aliquid fiat impossibile post voti emissionem, quod prius erat (2) possibile, obligatio voti quantum ad illud tollitur; ut si quis dives voventer edificare Ecclesiam, quod postmodum perficere non possit paupertate superveniente, non obligatur ex voto ad implendum. Sed tamen in hoc distinguendum est dupliciter. Uno modo, quia vel omnino factus est impotens; & tunc non tenetur simpliciter ad hoc quod vocat: vel est factus impotens ad totum perficiendum, quamvis non ad partem; & tunc ad illud quod potest, remanet obligatus. Alio modo distinguendum est, utrum ex sua

5. Præterea. Ille qui moratur in religione ultra tempus probationis determinatum, etsi ore non profiteatur, votum interpretatum fecisse dicitur. Sed hoc votum, ut videtur, non necesse est eum observare, quia nihil ipse promisit; nec videtur teneri semper ad ea que votum professionis continet, cum quandoque tempore probationis non videntur statuta regulae observari, & ipse non intendit intrare monasterium, nisi ut viveret sicut alii vivunt. Ergo videtur quod non omne votum obliget, ut necessario servetur.

6. Præterea. Nullus obligatur ad id quod dependet ex arbitrio alieno, sicut cum quis voverit intrare aliquod claustrum religionis: est enim in potestate illorum eum recipere, vel non. Ergo si ipsi nolint, non videtur quod obligetur ad votum solvendum.

7. Præterea. Quicumque tenetur ad aliquid sine temporis determinatione, tenetur ad statim. Si ergo votum obligaret, qui facit votum, & non determinat tempus, teneretur ad statim solvendum; quod non videtur verum.

Sed contra est quod dicitur Deuter. xxiii. 21. Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere.

Præterea. Augustinus dicit, epist. xlv. quod vovere est voluntatis, sed reddere necessitatis.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod per obligationem voti simplicis matrimonium contractum dirimi debeat. Fortius enim vinculum præjudicat debiliori. Sed vinculum voti est fortius quam vinculum matrimonii: quia hoc facit homini, illud Deo. Ergo vinculum voti præjudicat vinculo matrimonii.

2. Præterea. Præceptum Dei non est minus quam præceptum Ecclesiæ. Sed præceptum Ecclesiæ adeo obligat quod si contra ipsum matrimonium contrahatur, dirimitur: sicut patet de illis qui contrahunt in aliquo gradu consanguinitatis ab Ecclesia prohibito. Ergo cum servare votum sit præceptum divinum, videtur quod cum quis contra votum divinum matrimonium contrahit, ex hoc matrimonium sit dirimendum.

3. Præterea. In matrimonio potest homo uti carnali copula sine peccato. Sed ille qui facit votum simplex, nunquam potest carnaliter commisceri uxori sine peccato. Ergo votum simplex matrimonium dirimit. Probatio mediæ. Constat quod ille qui post simplex votum continentie matrimonium contrahit, mortaliter peccat: quia secundum Hieronymum, (a) virginitem voventibus non solum nubere, sed velle nubere damnabile est. Sed contractus matrimonii non est contra votum continentie nisi ratione carnalis copulæ. Ergo quando primo carnaliter commiscetur uxori, mortaliter peccat: & eadem ratione omnibus aliis vicibus, quia peccatum primo commissum non potest excusare a peccato sequenti.

4. Præterea. Vir, & mulier in matrimonio debent esse pares, præcipue quantum ad carnalem copulam. Sed ille qui votum simplex continentie facit, nunquam potest petere sine peccato debitum: quia hoc est expresse contra voluntatem continentie, ad quam ex voto tenetur. Ergo nec reddere potest sine peccato.

(1) Addit Nicolai: sicut & votum solemne. (2) Al. impossibile.

Ex EDIT. P. NICOL. (a) Ex quo refertur in Decretis distinct. xxvii. cap. Voventibus, & causa xxvii. quest. 1. sub iisdem verbis. Non esse tamen Hieronymi, sed Glossæ super I. ad Tim. ex Augustino usurpatis, Appendix notar.